

ACTVS V

i

SYRVS DEMEA

SY. Edepol, Syrisce, te curasti molliter
 lauteque munus administrasti tuom :
 abi. sed postquam intu' sum omnium rerum satur, 765
 prodeambulare huc lubitum est. *DE.* illud sis vide :
 5 exemplum disciplināe ! *SY.* ecce autem hic adest
 senex noster. quid fit ? quid tu es tristis ? *DE.* oh scelus !
SY. ohē iam ! tu verba fundis hic, Sapiencia ?
DE. tun si meus esses, *SY.* dis quidem esses, Demea, 770
 ac tuam rem constabilisses. *DE.* exempla omnibus
 10 curarem ut esses. *SY.* quā ob rem ? quid feci ? *DE.*
 rogas ?
 in ipsa turba atque in peccato maxumo,
 quod vix sedatum satis est, potatis, scelus,
 quasi re bene gesta. *SY.* sane nollem huc exitum. 775

ii

DROMO SYRVS DEMEA

DR. Heus Syre, rogat te Ctesipho ut redeas. *SY.* abi.—
DE. quid Ctesiphonem hic narrat ? *SY.* nil. *DE.* eho
 carnufex,
 est Ctesipho intu' ? *SY.* non est. *DE.* quor hic nominat ?
SY. est aliu' quidam, parasitaster paullulus :
 5 nostin ? *DE.* iam scibo. *SY.* quid agi' ? quō abis ? *DE.* 780
 mitte me.